

1654.



X 2002794

MNEME  
ILLUSTRISSIMÆ  
ROSÆ BARBEJENSIS,

mortalia exuentis, & in Æternitate  
sanctè florecentis.

1893144 3022



*Psalm. LII. vers. 10.*

Et Ego sicut Olea frondosa in domo DEI: Speravi in  
misericordiâ DEI in Seculum, & perpetuum.

*Ijob. cap. XIX. vers. 26.*

Et de carne meâ videbo DEUM.



D. O. M. S.

Flēte Mortales,  
Cryptæ Hujus Indagatores,  
Humanæ Vitæ Caducitatem,  
& in Uno arente Surculo totius saluberrimæ Arboris Marcorem!

Conditur heic  
Flos Rosarum,  
Virtutum Rariorum Seminarium,  
Preciosioris Juventæ Cimelium,  
sed Bulla simul & fati Ludibrium,

*Illustrissimus Comes ac Dominus, Dominus*

AUGUSTUS LUDOVICUS,

*Comes Barbejensis & Mühlingsis, Dynasta Ro-  
senburgicus,*

*Ultimus eheu! Antiquissima suæ in Germaniâ Prosapie Sanguis Masculus!*

Beatissimi Comitis ALBERTI FRIDERICI,  
ex SOPHIA URSULA Comitissâ Oldenburgicâ  
inter Quatuor Natas susceptus unicus Filius:

Divinâ Benignitate Ao: R. O. MDCXXXIX. V. Augusti,  
die Lunæ ante septimam matut. in Castro Rosarum Natus,  
*Et utroq; Parente intra Semestre spacium successivè è vivis extincto,*  
nondum Bimulus, Tutelæ Patruï relictus,  
Decenniumq; providè innutritus,  
donec fato præcoce Abrepti Vicem

Sere-

Serenissimus Dux Brunovicensis & Lunæburgensis,  
**RUDOLPHUS AUGUSTUS,**  
piè & prudenter restauraret, Octenniumq; gloriôsè adderet;  
Hoc uno, Antecessore suo infelicioꝝ,  
quod Amitæ Nepotem, Conjugisq; Fidelissimæ Fratrem Ger-  
manum,  
ad Aras Suum, nunc amissum doleat,  
Educatus sub utrâq; hâc Curâ  
**BEATISSIMUS NOSTER**  
ab ipsâ infantiâ Studiis Veræ Pietatis animum sacravit,  
adeò, ut jugem suum Amorem  
**IN CRUCIFIXUM MUNDI REDEMTOREM,**  
**JESUM SUUM,**  
Orthodoxâ Fide, fervidis Suspiriis, Religiosis Sanctimonix  
Exercitiis, Vitâ integerrimâ, & quod Caput omnium,  
**BONA CONSCIENTIA,**  
quotidiè demonstraret, CHRISTUMq; Scire, omni notitiâ su-  
pereminentiùs duceret,  
Ratus, Juvenili quidem, sat maturo tamen, Judicio,  
Hâc Basi jactâ,  
Salubriùs multò superstrui Reliquum Bene-Regnandi Domi-  
cilium:  
Quod ut feliciùs obtineret,  
Sacris Philosophica Selectiora temporùs adjungendo,  
*Instrumentalibus probè comprehensis, Reales, Bono Principi conduci-  
biles Disciplinas, Scientiasq;*  
præcipuè, Ethicam, Politicam, Historicam, Chronologiam,  
Geographiam, Genealogiam,  
mixturâ methodicâ arduè excolebat,  
Corpori Equestrem, Athleticam, aliaq; Heroico Sanguini ne-  
cessaria Ornamenta  
Justâ lance moderatè indulgens,

Nec,

*Nec, nisi optimum, in quocumq; sive Theoretico, sive Practico Objecto,  
Genus eligens;*

Unde Consuetudine Literatorum maximè se delectans,  
ex Euripide scitum hoc Symbolum contraxerat:

**SAPIENTIUM COMMERCIO;**

Quo strenuè exercito, reverâ erat  
Juvenilis Modestiae Amabile Exemplum,  
Christianae Politiae Propullulans Incrementum,  
Heroisq; indies se consummantis Genuinum Speculum.

Cachexiâ dudum laborans,  
Tono Viscerum ab incunabulis fermè non satis sibi constante,  
ultimis opprimebatur Calculi doloribus 30. Septembris, ac-  
cedente Atrophia, Spiritus Vitales sensim minuente,  
aliisq; Symptomatibus admodum perniciosis,  
donec extremâ nocte, post Colloquium

**cum DEO PATRE ET CHRISTO REDEMTORE** εν τω ἀπρόσῳ  
familiarissimum,

placidè Seipsum Quietì componens,  
in Arce Guelphicâ, Ducum Brunovicensium Sede,  
per Sexennale Contubernium

sub **AUGUSTO** Sapiente,  
Principum Germanorum Nestore,  
Aviae verò Suae Fratris Germano,  
Sibi tritissimâ,

*Præsentibus Medico & iis, quorum Fidei & ministerio commissus erat,*  
tandem Beatè obdormiendo, Animam Servatori Suo ex-  
halaret,

ante dimid. V. matut. die Lunæ à Dominicâ XX. p. Trinitat.  
XVII. Octobris, Anni Salutis Humanæ MDC LIX.

absolutis Ætatis Suae Annis XX, Mensib. II. Diebus XII.

inter langviores oportunè refectus

Sanctissimo Corporis & Sanguinis Dominici Epulo,

Di-

Dignusq; Convivâ DE O electus,  
*Qui, Hæredio Terreno spreto, Cælestibus Agni Nuptiis ilibatus Jam*  
*venis accumberet.*

Tumulatus in Sacrà hâc Æde,  
quam, annô ante excessum, per Protutorem suis sumtibus re-  
novari gaudebat,

obicem figit Sux Gentis Avitis Sepulturis,  
Ultimus Amor & Delicium Subditorum,  
Perenni fletu Bonis quibuslibet prosequendum.

Cincribus

Unici, Ejusdemq; Dulcissimi, & Desideratissimi Fratris Germani,  
Urnæ Huic concreditæ, & Ver Æternæ Restitutionis  
â SUSCITATORE JEHOVAH, Piorum Vitâ & Misericordie,  
Beatamq; Animæ, in manu DEI quiescentis, Conjunctionem  
expectantibus,

Illustrissimæ Quatuor Sorores,  
Cordolio acutissimo afflictæ,  
inter extremas lachrimas

M. H. P. C.

Abite Homines,

*Et Flores, nimium estimabiles, ante diem sapius, laeso Vigore, flac-*  
*cescere,*

Prudentius dolete!



EPI-

# EPITAPHIUM

*Illustrissimi Comitis Ultimi Barbejensis &  
Mühlingsis,*

*In ipso Flore Ætatis suam & Generosissimarum Virtutum  
Familiam, cum piorum omnium luctu plus satis  
acerbo, sepelientis.*

**F**lete ROSÆ Domini Viridaria marcida vestri!  
Flete meam planctu liberiore necem!  
Ille Ego, Celsorum Spes, Gloria, Sidus, Avorum,  
Ante diem, motu turbine, busta colo.  
Surculus infelix, si quæ vernantia præstant  
Germina, desertis post pia fata, rogis.  
Surculus infelix, dum ME flaccente senescit  
Arbor, & extremo Planta furore perit.  
Facturam Patriæ nostram non ulla rependent  
Secula: Nec precium muner a mentis habent.  
Barbia, si poteris lachrimas renovare perennes,  
Largat ament teneri causa doloris erit. (condo,  
ULTIMUS en! COMITUM florentia Sceptra re-  
Saxonicis Hiemes mille morata plagis.  
Fulgida Majorum, superans mortalia, Virtus  
Hæredem meritis me dabat aucta suis;  
Sen Toga, si ve Sagum celebret, sen sancta Tiara:  
Omnibus Hospitium dulce vigoris eram.  
Sic Generosa minans orbi viridantibus annis,  
FAX nitui Juvenum, DELICIA Mq̄ Senum.

*Quid*

Quid furis, ò Lachesis? cadit irreparabile Pignus:

HEROEMq; gradu præcoco crypta rapit.

Cæsaribus, Vexilla Patrum, Regnisq; remotis

Grata ministerio, Me pereunte, ruunt.

Tympana, Crista, Tuba, Galea, Calcæria, Mucro,

Sigilla & Clypei Nostra Sepulchra notant.

Omnis abit Generi splendor: Veteremq; nitorem,

Fura, Domos, Dominos, destruit una dies.

Quid furis, ò Lachesis? Quatuor miserere Sororum,

Ob mea qua madido funera rore liquent.

Non Ego vanicrepe venor suffragia Parca:

Falleris, humanas dum mihi perdis opes.

Deferit occiduos Hospes formosior artus,

Extorrisq; Solo, Cœlica Regna tenet.

Ite Mea, quondam felix Genus, ite Sorores;

Ante DEVM Fratrem cum repetetis, erit.

Victor ovans humiles (suadent æterna) tabernas,

Et querulas hominum sperno subinde vices.

Contere vana, meo exemplo, Prælustrior Ætas,

Post cinerem æternis ut potiare Bonis.

Nil stabile in mundo est: Formæ, Virtutis, Honoris,

Flos cadit: in Coelis Mens Pia foenus habet.

Fidei perpetuæ demonstrandæ ergò erigebat,

inter exquisitissimos dolores,

intimus, & post Fata quoq; fidelissimus minister,

Samuel Clofius.





1659.

X 200279

# MNEM ILLUSTRIS ROSÆ BARBI

mortalia exuentis, & in  
sanctè florescent

189314430



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

